Balthasar

Posnaniensis Collegii S. J. Decus infularum

DECUS INFULARUM
FASCIA
JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI
Ac
EXCELLENTISSIMI DOMINI
D. BALTHASARIS
WILXYCKI
EPISCOPI EUCARPIENSIS
SUFFRAGANEI & ARCHIDIACONI
POSNANIENSIS
CANCELLARII GNESNENSIS
Petricoviensis &c. PRÆPOSITI
Cum Vittis Præsuleis
CONNEXA
Annectentibus
In primo Infulati Honoris ingressu
Obligatos Beneficentissimo Nomini cultus
Posnaniensi & Petricoviensi
Societatis IESU Collegiis
ANNO
ab initiato Fasciis Infantibus Sacerdote Summo.
1728.

****

Typis Clari Collegii Posnaniensis Societatis JESU.

IN STEMMA
JLLUSTRISSIMI PRÆSULIS

Infula cui ſacrâ redimibat tempora vittâ
Cinge hæc Altaria vittâ *Virgilius.*

Vittaq; Majorum Decoramen *Silius lib: 16.*

- - - - - - - Gloria compleat orbem
Faſciá lata ſinu - - - - - - *Ovidius.*

Æterno complectitur omnia nexu *Luc:*

Faſcia Præſuleis ſpectandum Munus ab Armis
Quam totâ nobis candida fronte micas
Vincis ebur Parium, candore notabilis ipſo,
Et quod in orbe decus lactea gemma refert
Atque nives ſuperas: verùm mihi Faſcia crede
Candidior Domino non potes eſſe Tuo.

JLLUSTRISSIME
Et
REVERENDISSIME
ANTISTES.

DEcus, quod prima sese exponit in fronte, Tuum est: Tuum est quodcunque ornatior objicit suada, laudari, nisi è Tuo, qui totus panegyris es, potes. Corrumperent alii laudes Tuas Præsul, si Te, ùt par est, laudare præsumerent; qui ceu Sol, nisì doctô circumscribi radiô, sed Tuô debes, alterius citra invidiam Styli encomiô efferri, nequaquam potes. Et licèt, Infularum Decus, FASCIAM, obtrudit calamus, Tuo murice plaudit dictio, aliter prima folii ruberet in facie, Tuo se adornat ostrô, ut gratior procedat oratio; inculta Palladis hasta, si aciem exporrigit ingenii, fateor: acumen evicit à Præsule. Non enim aliter virga floreret Mercurii, non gratia rideret oris, si hæc non pedô Pastorali, hæc velut cælô Patriô, Gentilitiâ non renideret FASCIA. Tuum ergo est, si decus meruit, si eruditâ Metamorphosî decolor sæpia, in trabeam migravit concolorem; Tuus est sanguis JLLUSTRISSIME, Avorum, Proavorumque cruor, vel in Martis collectus clypeo, vel inter aras Sacratior vena, (Reliquias dicere debueram) in ara stillans honoris. Ad Te prolabitur, qui Te totum ante occupavit, nunquam vicinior Tibi, quàm Tu, quia Antistes ipse; qui cum doctas sæpiùs obrepis inter gemmas, ludis Præsul in pagina, Cui maxima Themidis argumenta ludus erant. Laudaris? Tu ipse Tuorum meritorum Præco; èlevatô attolleris stylô?

Nihil

Nihil in Te humile suspicit calamus, qui Majorum maximus es, omne punctum in Tui trahis venerationem. Nam nequis alius, citra verborum spectari apparentiam, verùm ut stylo circumscriberis, factis approbas, meritis auges, & dilatas. Majores ad manum vocans laudes, quàm eruditum caput Jovis concipere potest, docto à Minervæ ferro intentari acumina. Hoc unicum nostro relinquis ingenio, quòd non ad numerum vivas Oratorium, quem ad periodos alligat sæpiùs Eloquentia, sed numero omni absolutus, faciliùs erogas beneficia, quàm ad calcuculum alii venire possunt! Liberalis admodum animo, ut voces deficiant elogiis, quæ ad Nominis Tui augustam perorent dignitatem; nisi Tu ipse suppleas, Magna Panegyris; Tu de Vittato suggeras vertice, ad laudem vivens universis. Et indè est, quòd cum aliorum, ad compendiũ arctantur encomia, nec citra verborum licentiam, nucleo vastior progreditur oratio, Tu satis soluto laudaris stylo, cùm Tuis meritis; satis ab ILLUSTRISSIMIS Ceris publicæ derivas lucis, cũ non ad fumosam laudũ splendeas jactantiam; sub FASCIA, veluti syderum vivens, Zodiaco faciliùs aliorum irradias mentem, quàm deauras Tuam. Et talem Te Apelleæ cupiunt depingere Ceræ, talem docto penicillo, exprimere gestit melior Zeuxe oratio, satis ad laudem dicens, si talẽ loquatur pagina, qualis dici mereris. Cum enim non par ingentibus meritis contingat suada, merebitur laudem à materia. Tu verò, cùm calamîs efferri pro Majestate non potes, animum æstima. FASCIAM Tuam Infulis Majorem, postquam grato suscipies animo, Minimam suscipies Societatem obligatam. Nihil alienum laudis ducens indè, præter Te ipsum, licet ex solo Præsule, sacræ ornarentur trabeæ, & ostrum pingeretur Regale Antistitis meritîs. Te leges, Te eruditâ suspicies palpebrâ, etsi non talem videris, qualem rudi exsculpsimus pagina, quia Majorem elogiis, talem admitte, qualem voluimus seræ mandare posteritati, qualem ad communem Orbis vovet lætitiam

Jllustrissimæ Excellentissimæ & Reverendissimæ
Dominationi Vestræ

Devinctissimum
Posnaniense ac Petricoviense Collegium Soc: JESU.

DEsine flammigeros terris diffundere Crines,
Sed sparsas radiante sinu complectere flammas,
Phæbe Poli princeps, radiat decus omne sub unâ
Fronte, Coronatâ Vittîs Posnensibûs, auget
Virtutes meritis, illustria facta serenat.
Nusquam Gangetîs fulvi pretiosa metallô
Viscera, gemmatas Pontus diffusus in undas,
Hermus nec tantos diffundit in Orbe decores.
Fascia Præsuleîs quantos fert una Tyarîs.
Non est cur tumidè reseret fortuna penates,
Et vanos jactante sinu dispenset Honores,
Quos pictas animosa trahit, quos Fascia vincit

Præsulis Augusti, poscunt penetraliâ, Numen
Ambit, non vacuo meritorum pondere, vota
Exoptant Procerum, populi plaudente Corona.
Si quod in Orbe decus, sacro sub culmine regnat,
Quod meritum possedit Honor, quot præmia nactus
Quotve Coronatas implevit fronte Tyaras,
Cernimus & Divîs vinciri tempora Vittîs,
Purpureos Patres sacras implere curules,
Omne decus Vittam Præsul Collegit in Unam,
Conde Tuum Fortuna decus jam Præsul ab Orbe
Patritio derivat opes, funditq; decores.

NOn est cur Fortunæ litemus ad Tui Honoris Aram Antistes JLLUSTRISSIME, non illius Te vehit orbita, non sors temonem dirigit, sed grandis Tuæ activitatis sphæra, invehit Præsulem altaribus, virtus promovet per gradus meritorum. An enim poterat regnare secundiùs, imperare augustiùs Majestas Infulata, quàm cui Virtus prodroma est, & merita latus ambiunt numeroso famulatu? Jllud certè optimum regnandi genus, cui suffragantur à Candore morum venusti, non colorati ad superficiem calculi, illud classicum, cui fama boni publici accinit in ingressu. In Te experimur, meliorem nobis non posse dari Præsulem à Fortuna, quàm concessit gratia intuitu meritorum collata, optimum à Natura; Qui non aliter omnem in Te colligis dignitatem, ac Crystallus purissima Solis radios, vel Cæli sidera Olympus, innata capax amplitudine tantæ lucis, cui Mentis excel-

sæ

ſæ ſublimia decora, ornamenta ſunt Indolis Nobiliſſimæ, ac ſi Dux virtutum eſſes, quas toto exercitu ſub Tua Vocaſti ſigna, Numini & Patriæ militaturus. Et certè Altum dignitatis Præſuleæ, omne meritorum pretium recluſit, tam intimum Tibi, quam coætaneum Nomini Antiquiſſimo. Neq; enim naſci poteras, niſi comparatæ ex merito Hæres gloriæ, nec vivere, niſi ſemper addas nova famæ incrementa, velut ad primum vitæ filum, obligaſſes, Tibi honores, Tecum collactaneos, in Faſciâ. Ita nempe gignuntur gemmæ ad Coronas, quibus pretium eſt, etiam cùm in Matris conchæ gremio adoleſcunt. Magnorum genus & tantum naturâ ingentium, ad prima ſui exordia, tantos ſe præbere Orbi, quanti videri vellent, poſt emenſos meritorum annos: Tuum hoc Antiſtes, an Domus integræ in uno. Non aliter vos Mater Polonia in ſinu Reipublicæ geſtavit, quàm adultos, ne dicam Patres Patriæ. Tantum jam in cunis floruiſtis, ut ad ceras Nobiles, omnium virtutum & meritorum florem collegiſſe videremini, cum Diviſq; Prometheis participaſſe è cælo ſplendores, ad augem gloriæ accendendam. Scilicet veniunt ad Vos honores, ceu virtute ſimpatica allecti, ceu Soles quidam in Cælo Patrio, tantùm ab Intelligentiis motricibus, id eſt virtute & meritis, ad dignitatis meridiem evocati. Evolent ad honoris culmina illuſtribûs familiarum cerîs Icari, quibus amor Patriæ alas non aptaverit; eluctentur in altum dignitatis alieno ſuffulti robore!

Saxum eſt, quod à Siſipho in altum porrigitur. Minorum Aſtrorum munus, emendicato fulgore radiaſſe inter ſidera. Non eo paſſu culmen aſcendis Infulatum, cui cæca fortuna eſſet præambula, ſed quem oculata in geſtis muneribus, manuducit perſpicacia. Decurris Appiã & honoris Olympia, quam benemeritorum trivêre veſtigia. Tuis ſuſtentas lacertis fortunati Culmen Olympi Atlas fortunatiſſime, alieno non indigens Hercule, vel forti brachio, ipſe culmen Domûs Patritiæ, cui plus Illuſtris moles incumbit, quam ſoles Rhodiis. Credimus quod de Te fama publica, quod privata auguria, ac totius Reipublicæ enarrant oracula; Orbem conſule & plus Te mereri aſſerit quàm præmiari poſſis. Collegiſti votorum omnium deſideria, perinde ac Homerus Iliadem, ac Pyrrhus annulô incluſit Muſas. Quid ni loquantur pro Benefactore munificentiſſimo Aræ, ceu TUÆ liberalitatis Exedræ? Liberali dexterâ extructæ, exornatæ? Colant Religiones Fundatorem, Cineam perorent Conſilia, Areopagus ſanctiorem Licurgum, conſeſſus publici ac privati Conſum, Jura Solonem, Cathedræ Sacrum Honorem, curules ac dignitates Honorium, parem ſummi, æquales majorem, Patrem pauperes, & aſylum, Orbis Polonus tantum Incolam, qualem Antiquitas deſideravit, adorat præſens ſæculum? Certum igitur à ſola Te laudari fama, coli à virtutibus, ad Elogia vocari à meritis; unde quamvis impleremus paginas, nondum ad primam ingen-

tium

tium laudum deveniretur periodum. Et ut nunquam Cæſarum Nomina, meliùs, quàm ſuâ manu ſcribi poterant, nec Tu ſatis laudari, niſi à Te ipſo, id eſt, niſi virtus ſe pro ſuggeſtu erigat, unde Tua merita declamet pro Honore. Non itaq; mirum eſt omnem in Tuum Caput Vittarum devolvi Coronam, cùm clarum ſit, tot Te mereri Titulos, quot Faſcia recluſit meritis: ipſa videlicet Orbis Titulorum, aut honoris Compendium, & quoddam faſcium Capitolium. Concedis frontem Infulis, Te minoribus, ut nobis conſtet, Te plus merito dediſſe Titulis, quam accepiſſes in præmio. Illa enim ſe nobis Majeſtate offerunt WILXYCCII, quam adorare debuerat, non adornare titulis Polonia, omne virtutum excedunt encomium, quia numero meritorum à Natura prope infiniti! Credimus, tantum in Vos benemeritorum defluxiſſe Oceanum, ut in quemlibet Veſtrum, plusquàm ſeptifluo decurrant Nilo: quorum Te PRÆSUL ILLUSTRISSIME, Tuo majorem alto, velut ſanguinis purpurei coronamus fontem: Attolle itaq; grandem meritis, ſublimem Majeſtate, virtutibus thaumaturgum, non tot, quin pluribus titulis coronandum verticem; deſine votorum Noſtrorum vim reprimere, cohibere deſideria, fræna imponere privatæ ac publicæ exſpectationi, à Tuo enim adventu, ceu à novi ſideris exortu auſpicia fortunata, & novos gratiarum influxus exſpectare certo jubemur. Indignum utiq; fuerit, merita debito privare cultu, quæ majeſtate incedunt co-

ronata; Injurium est, Princeps præclare actum locari extra muricem! Commune quidem Tibi virtutis genus est, intra modestiæ abscondi penetrale, ut gemmam in concha divite, aut vivæ virtutis primum vivens intra sinum pectoris. Verum; Olympone virtus sublimior, alto Pactoli ditior, clarior sole publico, privatam incolet regiam, Ergone ad summum gloriæ fastigium in Polono sinu educata non evolabit aquila? En amor populi, Poloni Orbis desideria, addunt alas. Metiris dignitatis Tuæ culmen, & honoris fastigium? Illud Rhodio Colosso celsius, hoc, umbrâ. Dabis igitur, honoris radio Nomen Illustrissimum, non excusâ modestiâ, etenim astrorum Principes, etiam tunc, dum meridiem terris inferunt, illustrem titulum umbrâ temperant, Quid ni Te Sacer Honor Insigni adstrictum Fasciâ, ad Infulas non pertraxerit? Necessitas quædam est, citra meriti tamen Tui injuriam Te esse Præsulem, cum Tuâ se illud evolvat Fasciâ, quantùm hæc dignitatis Honori Sacro invehat: Decus Infularum est, aut strictè à vittis Præsulum dependens, aut strictiore nodo cum Tyaris Pontificum connexa, ad necessariam Honoris Præsulei ad Tua merita consequentiam, ut stipendium sit Præsuleus Honor, Tuorum meritorum, non gratuitum fortunæ Munus.

An enim non magni momenti distinxisti tempora? Tantùm primo ætatis Aprili, in florem succrevisti vitæ, ut jam aras protunc implere merueris, illo vere in vultu vernarunt lilia, ut

Hymet-

Hymetti virtutum Regem ſupplerent; prævenisti partus violarum vernantes, quòd antequam plantari ſolo Patrio cæperas, non immaturis meritorum fructibus, ad Orbis delicium adoleviſſe videbaris: vel ex certo nunquam puerilibus florebas annis, quotquot enim numerabas vitæ menſes, Auguſti fuerant, Tuarum virtutum meſſe maturiſſimi. Quid enim non ad Majeſtatem in Præſule ſpectavit Honor? quem ſuis priùs aptavit Inſigniis, quàm Lucina inſtruxiſſet crepundiis, cùm bono publico vivere cæperat, cùm primùm naſceretur tanquam legitimus Titulorum Hæres, cui ſucceſſione quadam ex merito debentur. Iſtud eſt Antiſtes Illuſtriſſime, prius Te aulis Principum addixiſſe, antequàm Titulorum regiam ingredereris, ad munia. Vidimus non raro Aſtrorum Reges, minore ad lucem ſcintillare Phoſphoro, antequàm altiſſimum terris intulliſſent meridiem, ſemper tamen Sereniſſimos. Commune appellamus votum, ne nobis tantùm fidi videamur, eodem Te partu ad ſummos honores, quàm ad ſoles vitæ oriri, priùs magnam Indolem Orbis adorare potuerat, quàm vitæ filum duxiſſet ad obligandos ſibi Titulos, excrevêre merita ſupra ætatem teneram, dum virtus Gigas in parvo Corpore proſpectabat, & quæ in ſenibus non maturuit, in Te adulta Majeſtas regnat ad ſui prodigium. Jam tum ante oblatas Inſulas, Præſul, ante Titulorum Inſignia honoris Princeps exſtitiſti, priùs ad ſumma collegiſti frontem faſtigia, quàm minora ſuſcepiſſes munia. Diu

Illuſtriſſimus Aulæ das Nomen.

videri ab Orbe, coli à populo, amari à Principibus, regnare in corde Reipublicæ cæperas, antequàm in fastigio dignitatum spectareris. Ad invidiam vixisti summis honoribus, & magnæ expectationis Vir fueras, ad majora. Quanto fortunæ Principum flagrabant desiderio! quis fuerit Magnatum amoris æstus! quæ votorum publicæ felicitatis suspiria, inde colligimus, unde futuræ inaugurationis ad Infulas, deprompsimus auguria. Ut enim Premislienses vittæ, Principum Cracovienses Mitræ WILXYCCII vidissent animum, velut sibi natam adorabant frontem, colebant merita, & dubium fuerat, oblatumne in Principe Cracoviensi cinxissent Caput, an WILXYCCII ambiissent verticem. Novo enim & insolito assurgebant fastigio, ut & suum Antistitem & æmulam summis Titulis dignitatem coronassent. Binos non posse pati soles sidera, non voco in dubium, id mihi veritatis argumentum sit, quod honores sacri, legitimam reduxissent ad formam. Enimvero illo fulgebant splendore Vittæ, in suæ dignitatis cultoribus, quo flagrabant desiderio ab Illustrissimo WILXYCCII accendi Nomine, ad clariorem augem Majestatis trabeatæ. Nusquam tamen violenter de WILXYCCIO actum est à Titulis, ne dum expugnatam vellent per honoris culmina modestiam, deterrerent ab aulis Principum. Quid enim virtutum Dominæ sublimius est? quàm ut ab omnibus ignoretur, colatur à nullo. Noverat Fortuna Principum ad WILXYCCII meritorum regiam modestiæ

Cancellarius factus apud Ill: Epis: Premis: & Celsis. Ep: Cracoviens.

vir-

virtutem excubare, aſt in caſſum: orbe integro laboratum eſt, ut ſuo deſponſaret honori WILXYCCIUM fortuna, quem ad Tænias promoviſſet obligatum. Votum fuerat, quo conjurato ad Crucem Principis fædere, convenêre Tituli, ut ſucceſſione quadam in meritorum conſpirâſſent frontem, ut cor emollirent ad Faſces obeundos, ambiunt cordialem annuli. Cor Reipublicæ crederis, tanto enim motu, in altum honorum traheris, ut continuus ſit, & Solo vivere cenſearis: vix momentum vitæ Tibi fluxiſſe crediderim, quod non honoris profundo miſceretur, & altum meritorum inundaret. Annos computamus & ſolis Titulorum punctis dies diſtingvimus, ad numerum dignitatis undiq; abſolutiſſimæ. Non invideo cæcutienti ad melioris gloriæ ſudum fortunæ Herculis, cui poſt enervatos heroò auſu lacertos terminale inſcripſit Non plus ultra. Scilicet: nec fortunam mortalibus plus poſſe viribus, nec Mortales, fortunæ ſortibus plus ambire, quod ut in aliis inſolitum eſt, Soli Tibi commune. Plus enim uno Præſule poſſe coronari culmina, quam honoris adinveniſſent faſtigia, quibus ſuperâſſent merita, auxiſſent dignitatem Antiſtitis. Ut enim unius occaſus alterius ortum auroræ indicat, vel certè pretioſa Gangetis unda, divitibus ſupernatat fluctibus, ſemper tamen novô pretiô ditantur littora, ſolis tantùm ſeneſcunt gemmis. Itaq; ut inſolitis Poloniam illuſtras meritis, ſic novis Patriæ votis ad Illuſtriſſima eveheris munia, ſemper ad augem gloriæ

Illuſtriſſimus Continuis in Titulis.

C pro-

properas, qui ab ortu honoris, illuſtris virtutibus ac rectefactorum Princeps in Cælo Patrio. Ubi Polonæ Juſtitiæ Numen ab aris colitur, illic Te Honores ſacri initiant, ut ad votum ſit: ibi WILXYCCIUM primos tenere Faſces, ubi Aſtræa ſedem fixerat, præeſſe, ubi Orbis Lechicus ex lege ſubeſſe debet Themidi. Nihil juſtius, æquius nihil, quàm ut Arèópago Vice-Regia Majeſtas, illâ in urbe diſponat Juris imperia, ubi virtutem præeſſe, benemeritorum de Republica regnare dignitatem vidit in WILXYCCIO: Quem, ſi Leges Patrias, gemmas Regni dixero, ærarium putabo, non abſq; meritorum pretio, & pondere. Lydius eſt: ut aureæ libertatis aſſertor ita ſervitutis ferreæ excuſſor impatiens. Noverat Judex ex Polonia, tantùm ſibi adeſſe Majeſtatis, quantùm adfuiſſet dignitatis, WILXYCCIO, ſuæ illum præfecit Juſtitiæ, quod de jure ſit, non poſſe abſq; titulis Majeſtatem incedere meritorum. Orbis colligat, quantum virtutis ad honores fuerit? in Præſule, quas tam numeroſis quàm primis facilè, videmus coronatas Faſcibus. Rapuit Virum Conſilii Premislia & ne ſuum Majoris tantùm Poloniæ orbi ſit pretium, in gemma Præſulum, ſuæ inſeruit Coronæ, ad decus Antiſtitum, ſacram curulem obtulit, & tantùm ſummis minor fuerat, dum Canonicis regnaſſet in ſubſelliis. Ad invidiam tàm ſacris quàm primis facile fuerat Capitulis, quod, ut ad dignitates natum viderant, ſummis incedere faſtigiis voluerunt ad Infularum culmina. Vix caput obtulerat Premislienſi Titulo,

Illuſtriſſimus, fit Præpoſitus Petricovienſis.

Illuſtriſſimus factus Canonicus Premislienſis.

tulo, illum ad ſui frontem Capituli repoſcit Poſnania, & quamvis pares ſuæ dignitati deeſſent Tituli, in decus ſuæ majeſtatis provocat, ad auguria Honoris Infulati. Nec inane votum fuerat, ut enim innumeras, viderat regnaſſe dignitates, ſic multiplici coronavit gloria Honor ſacri Capituli. Areopago Mercurius fortunatior expeditur, vix curulem ſacram impleviſſet, integram circumferet ſecum Honoris Præſulei magnitudinem, plus gravitate conſilii, meritorum numero, quàm inani ſtipatus faſtu, Judex Deputatus. Ivit itaq; an verius (cui amor Patriæ inſtruxit alas, ut publicæ calamitati ſuccurreret velociùs) ad nidum Juſtitiæ evolavit? Favete Numina, ut bonis avibus, Areopagi tangat Aras Præſul pro Patria, emortuis ſuccurrat legibus Angegelus pacis. Vix dum Juſtitiæ libravit lancem, alternis revocatur Titulis ad regimina, ut quem honores ſibi eripuerant, coronaſſent faſtigia in Regali ſacerdotio, illud enim tot ſacris excoluit virtutibus, ut illi debuerit Poſnanienſis Diæceſis, quod Cælo digna florerent ſanctuaria, ad fructus ſoli Numini gratiſſimos. Quotquot enim Eccleſiarum Præpoſitos, Parochos, ſuo commiſſos tenuiſſet regimini, Archidiaconus, tot Cæleſtis virtutis ſimulacra, ad decus ſacri Ordinis excoluerat. Præfuit non præeminenti arrogantiâ, verùm inſigni meritorum magnitudine, & cùm ſummus adorabatur ab omnibus, cuiq; ſubeſſe videbatur. Quoties dicatas Cælo, inviſebat ædes, niſi virtutum indulgentias præferebat, & omnis

Poſtea Canonicus Poſnanienſis, Unde Judex Deputatus

Archidiaconus factus Poſnanienſis.

virtus Cardinalis fuerat, quia in eminenti magno Sanctimoniæ apparatu, dirigebat gressus modestia, stipante latus pietate, quæ ut Cordi semper fuerat, sic vitæ comes fidissima. Umbra virtutum & meritorum honores isti: pretium intulisti honori, non Tibi honor, & cùm tantùm augescant dignitatis Tuæ fastigia, subtrahebas Te illis, solâ relictâ Tui fame, quòd nunquam honores sacri, expleri potuerint quin Te novis aggrederentur Titulis, velut cùm meritis certassent pro Tua gloria. Orbem appello; in quem crevit AnnulusTuo admissus pollice,& adhuc honoris Tui punctum fuerat, qui orbis esset alterius; æternitas fortunatissima Te sibi obligaverat, ut nisi in Orbem honoris semper crescas ad omnia faustissima. Tantùm desponsasti Domûs Tuæ & Nomini felicitatis Orbitam, ut ad digiti Tui imperia deflectat fortuna,vel ad nutus. Indicasti benemeritorum annulum, quibus metam gloriæ attigisti, fortunatissimæ conterminam felicitati, adeo; ut quàm fortunatum sit Te esse Cancellarium, tam æternum, ad summa promovendum. Tanta est meritorum Tuorum amplitudo, ùt illam, etiam augustus Orbis honor non adæquet, quod etiam ubi minimus videri velles, semper immensus videaris. Manus est: quam, gemmam veluti Cancellarius ambit Annulus, ad sui decorem, & quamvis Gigantis posset complecti dextram, Tibi pumilio fuerat, quod illa etiam præmia, quæ summos excedunt, ad magnitudinem Tui Nominis non succreverit. Laudum Tuarum

Illustrissimus Cancellarius Gnesnensis.

rum panegyris annulus eſt honorarius, qui aut punctum eſt, aut periodus, quamvis Orbem ſuppleat, quòd amplitudo meritorum non uno orbe claudi, ſed immenſo elogiorum comprehendi mereatur. Et certè plura, ad orbis prodigia, in Te legimus, quàm ſua Pyrrhus còárctâſſet ſphæra, in quâ non Muſarum tantum docta agmina, ſed univerſus deſcriberetur ſcientiarum numerus. Quoties enim pro Vice-Regia Majeſtate, auguſtos fudiſſes ſermones, toties mella Platonis, iterum ad docti orbis delicias effundebas, mulcebas animos, & pectora meliori reddebas palato, ut plenô alveô Oratorum ſvadæ in os Tuum defluxiſſe ſitiverint. Catones non appello, nec ad ſtyli compendia, diſertos voco Tullios; tantum ut pote Tibi ineſſe facundi eloquentiæ roboris, ut plures animos vel docta devinxiſſes ingenia, quàm numeraſſes capita Principum Eloquentiæ. Quærimus, ampliorine margine Caſtalii decurrunt fontes, an Tuum exundat ingenium? enimvero, eodem ad ſublimia mentis alto, evehitur, quô inundant profundo Parnaſſum docta flumina. Non ſecus ac in Jovis cerebrum, omne defluxit ingenium, quod orbis hauriat ad conſilia, vel Numina conſulant, ad oracula. O! Sortem non tot quin pluribus adorandam votis, ubi ſvadæ Numina defeciſſent ingenio, pluſquam Apollo poſt cortinam, Præſul Cælo digna depromit prodigia. Orbis audiat; quàm bene audit Orator Sacerrimus, cui tam facile verborum gemmas, ad rotunditatem periodi aptare, ut adamantes ad Coro-

nam, vel certè eliquare cerebrum, in uniones, ad fluiditatem ſvadæ limpidiſſimæ. Pluresne eruditus vertex coronâſſet laureas, an Campi nutrirent Oratorii? problema ſit, illud veritati ſubſcribo: de tam erudito vertice, plura poſſe legi ad præcepta univerſi, quàm unquam Doctor Orbis, dictâſset ad exempla. Raram Phænicem Sapientiæ, quæ vix è nido ad Solem publicum evolaverit, jam omnes noctuas, alacritate ingenii prævolâſſet. WILXYCCIORUM Familiæ eſt, Parnaſſi obire vices, quæ pro Nepotibus niſi Muſas genuit, vel Apollines, tot enim in Domo hac legimus eruditorum Numina, quotquot ejusdem Domûs Aboriginum, ſanguinis numeramus guttas, vel Nomina adoramus. Inde eſt quod ſucceſſione quadam, omnes docti Capitis opes, in quemvis defluant WILXYCCIORUM. Te verò Antiſtitem, veluti Apollinem eminere inter Muſas, non ſecùs, quam natalem Concham gemma ſuperat, ortum Sol in Meridie, fontem Danubius, Saturnum Jupiter. Oris facundiam, fæcundâ liberalitate adæquaſti. Quæ cæteris virtutum Coronis eſt munificentia, & niſi ad canos vitæ efflorescit, Tecum ut nata, ſic adultam Orbi Lechico meſſem intulit. Ærarium Poloniæ impugnet, cui tam facile, in ſe prodigum, quàm parcum eſſe in alios. Nonne ſole publico eſt clariùs, tantùm à liberalitatis dextrâ profuſa eſſe munera, quàm ipſa munificentia præſtitiſſet, vel ſitijſſet egeſtas ad exſtingvendam auri famem. Liberalitate Tuâ magnitudinem nominis exceſſiſti;

Liberalitas Illuſtriſſimi indeficiens.

ſti, aut Midæ manus Tibi ſunt, aut Craeſi, quòd niſi gratias diſpenſes. Superaſti fabuloſæ antiquitatis numerum Gratiarum, quia vel quælibet major omnibus, vel numerô ſunt prope infinitæ. Dicam opum ærarium, Tuam dexteram, quam quoties egeſtas pulſaverit, toties deauratur, ceu Gangetem Hydaſpemve concluſiſſet, quod nullum littus ſit, niſi divite exundans fluctu, cui plusquam fortuna Cæſarum, Rei-Publicæ ſupernatat oneraria. Scilicet non plus felici ineſt opum Arabiæ, quam Tibi munificentiæ ad fortunæ æraria, è quibus non plus diſpenſas pretii, quàm ex animo, quem liberalitati conſecraſti, ad Orbis utilitatem. Loquantur Aræ pro ſuo Cultore aureo, perorent Numina dum Aurum ſilet, quod largè in ſacras effuſum ædes, ut illo ſolo diteſcere videantur. Non voco manus beneficas, ad tabulas, quæ ut vota Deorum ſunt, ſic in oblivionem ſuæ liberalitatis anathemata, quod nec ſiniſtram ſcire voluerit, dum dextra emunxiſſet gazas, ad Cæli decora. Tantùm deerat, ut ipſe ab aris colatur, qui ad opum ærarium excoluit ſacra limina. Cælum putâſſes, Eccleſias, ſuo commiſſas regimini, quibus vix non ſingulæ portæ ex ſingulis Margaritis, quod & ipſe Gemma Præſulum ſit & munificentia ad pretia adamantina. Creditis? diſperſit cum ſole manus, quod nulla egeſtas fuerit, quàm in aurùm non excoqueret Antiſtes Illuſtriſſimus. Commune non tam liberalitatis, quam miſericordiæ operum eſt, oppreſſæ mendicitati, dextram porrigere, erogare, ſtipem, &

divitem inopiam ad ſpem melioris fortunæ dextrâ aureâ erigere. Diem ſibi eripi, ne dicam annos vitæ adimi putâſſet Antíſtes, ſi novo liberalitatis genere, mendicæ calamitati non ſuccurriſſet. Habet Orbis, non tàm boni publici, quàm ſuæ cultores fortunæ, ut vix non ſceleri id ducant, ſi dextram in æraria extenderint in ſuppetias infortunii, rati: injuriam ſe, illaturos, opum Numini, non abſq; crimine parſimoniæ. His credimus ſacram eſſe auri famem, quibus de corraſis nummis, tam inſolitum eſt ſubtrahere, quàm videtur ſacrilegum. Aſt parcendum parſimoniæ, ne etiam innocenter crudeles alienæ famæ Zoili videamur. Verum ſi turpis quæſtus proprio tantùm ſtuduiſſet lucro, ſolâ liberalitate Antiſtitis viveret Orbis, ad melioris fortunæ frugem. Illuſtre beneficiorum ſidus, & quod liberalitatis diſpenſet radios, vix umbram hominum præferentibus, vel certè munificentiorem Cælo, dicam Antiſtiſtem, quod niſi aureo nimbo, aut rore gemmeo, ſquallentium egeſtate ſitim exſtinxiſſet. Incedis argenteo ſuffultus ſcipione, & ſimul ruit integer, ut prolabentibus populorum commodis, caſus fortunæ ſuffulciat. Permittit expoſcentibus purpuris lacertos Pontificios, quod totus erubeſcat, niſi pallenti hominum ſuccurrat cladi. Habet illa in Gentilitia Faſcia fortunæ Orbem, & quoddam beneficiorum compendium ſibi obligatum, quod, quàm arcto adſtrictum fædere, tam æternum. Inde eſt: non poterat beneficiorum munificentiæ finem imponere, id tantùm noverat,

rat, ut ab omnibus ignoraretur, dum vix non ſingulis expendiſſet omnia, erogavit ſe ipſum per munera, ipſe Munus omnium. Profudit pretioſas opes, adeo: ut exſiccatas urgenti calamitate fortunas, ad meliorem reduxiſſet frugem meſſis fortunatiſſimæ. Vix enim diem dixiſſet orbi, ceu ad natalis Minervæ, aureos depluebat nimbos, pretioſo diffuſos oceano. Satis liberalitati Antiquitas, divitis gloriæ appinxerat, dum auream adjeciſſet dextram adulator penicillus, quæ ſi noſtro vixiſſet ævo, nomen parſimoniæ ſortiretur, dum Aureum ex integro vidiſſet Præſulem. Tagum dixero: niſi quod pretioſæ liberalitatis altum, immenſo exundaſſet alveo, fluxas, profundo divite, ſuperaſſet opes, quod nullum ſit quo circumſcriberetur littore. Non aliter munera ſuccedebant muneribus, niſi ut fluctus gemmei, aurea inundant littora, ſcilicet continuo ſucceſſu creſcunt ad abundantiam, unius enim in Præſule munificentiæ terminus, favoris alterius eſt prodromus. Petricovienſis Vicariatûs primum impoſuit lapidem, ut ceu ad lydium auream probaſſet liberalitatem, ſublimem erexit ad magnificentiam, cui immortalis gloriæ, aureo exaravit ſtylo monumentum. Auguſtal liberalitatis, virtutum Dominæ, Domus iſta, niſi magnitudine beneficiorum in tantum ampliaretur, quam una ædium complecti nequeat Majeſtas, quin ſe transferat in plures Fundatrix. Quam liberalitatis Tuæ poſuiſti terminum, hæc & punctum honoris Tui eſt Societas JESU. Inquilinam Domûs Tuæ effeci-

Illuſtriſſimus Fundator Petricovienſis Vicariatûs.

Benefactor Societatis IESU. fecisti, & cultricem Nominis, nisi quod & extra Tuæ munificentiæ dextram ad nutus sit benevola, ad imperia obsequentissima. Tanta multitudo beneficiorum stylum obruit Oratorium, ut exhauriat omnem dicendi abundantiam. Illa nimirum Tibi liberalitas est, illa Oratoribus parsimonia, ut quoties Religiosam deaurasti inopiam, vocalior in nummis fueris, quam illi verbis, qui Te laudare aggrediuntur,proinde ne Tibi injurii videamur, sola Te loquantur beneficia: ac imprimis Petricoviense Collegium, cujus sacras ædes, illâ extulisti Polono Orbi ad Majestatem *Fundator Templi Soc: IESU Petricoviæ.* magnificentiâ, ut perpetuum sicut liberalis propensionis, ita propensæ liberalitatis sit monumentum. Illa Tibi circa Societatem JESU provincia fuerat, ut Munificentiâ Tuâ Polonam auxisses Provinciam, scilicet in Gentilitia Fascia Orbem alterum addidisti, cui præter infinita prope encomia, Societatis Nomen, in fædus Tui obsequii, obligasti, ac Tibi intimam reclusisti. Proinde non sola Te Posnaniensis Diecæsis, verùm tota Polona Societas merito suum adorat Præsulem, an enim non dici Antistes illius merueras, antequam esse Posnaniensis? qui cum Flamines non poteras, Divino cultui consecrasti Ecclesiam, ipse præ virtutum apothèósi altaribus inferendus. Credimus intolerabile esse Tuæ modestiæ, dum lapides de parietibus clamabunt, Te sui Atlantem esse aureum. Vicisti Præsul munifice, præripuisti palmam Superis, quia aureis pugnasti hastis, Divorum propugnaturus regias

in Ba-

in Baſilicis. Verbô dicam: ubi Juſtitia patrocinatur legibus, ibi Tua in Societatem clementia pro Tribunali ſedit, quæ pro minis induta gratiis, pro ferro vindice, rotavit aurum. Quoties enim Religioſæ pedem intuliſti Domui, non aliam dixiſti diem, quam, ut ultimum inopiæ occaſum adtuliſſet, nam Te præſente, nulla infortunio mala cauſa bene cecidit, ubi Te ſuum Societas Patronum, ac Mæcenatem, egeſtas ſuum Judicem, experiretur. Ita eſt Antiſtes Illuſtriſſime, magis Tua munificentia fulgoribus auri, omnem aduſſit calamitatem, quàm fulmen ferri crimina. Quoties Te Petricovienſibus Collegii indulſiſti ædibus, ſemper cùm indulgentiis munerum, & veluti ad lydium lapidem, auream probaſti liberalitatem. Scilicet non vano Nomine BALTHASAR es, nunquam enim vacuam aureis muneribus circumfers dextram. Tam longè effundis beneficia, quàm in Te uno, fortuna cum Gratiis habitant, & crimen eſſet, ut BALTHASAR ſine Auro veniret Hoſpes, omni auro æſtimatiſſimus, adeo, ut quoties adventum Tui Domus Lojolæ viderat, Epiphaniam Domini, id eſt Solenne gratiarum Feſtum, inter beneficiorum indulgentias colere videretur.

Hactenus liberalem citavimus nunc iterum diem Tibi dicimus, Poloni Judex Areopagi, diem dicimus, ut pro felicibus noſtri ſeculi diebus, Te Judice fluentibus, ſæcula Tibi ex æquo precemur fortunatiſſima. Scilicet in jus Te vocamus, par ſoli Juſtitiæ, quia Tuum, in memoriam poſterorum

Illuſtriſſimus Ter Præſidens Tribunalis Regni.

rum eos revocaturi Judices, quorum merita comprehendis, adauges dignitatem, ad Tuum Te citamus Tribunal, ut in Areopago Justitiæ, justa merita ad Tua recitemus encomia. Debent Tibi antiquæ leges, & Novæ reverentiam, antiquæ? quod non perierint, novæ? Quod Tecum natæ sint ad Regni commoda. Orbem consule Polonum, & gratam suo Pacificatori Patriam. Judex fueras & simul Jndex stateræ æquitatis judicabas? & simul indicabas, quid virtuti debeatur, & quid sceleri. Vix Aris Te admovisti Justitiæ, & Præsulem præferebas, & æquitatis Numen, quòd & ut Pericles detonabas contra crimina, & mille Gratias fundebas velut Jupiter, pro Legum integrirate. Justitias judicasti, ut singula judicii præjudicia fuerint injustitiæ, aut exemplar rectè omnia judicandi. Rotasti ferrum Themidis, citra vulnera, quæ si inflixisses per justitiam, leniisti dolorem sana applicando consilia. Jus gladii obtinueras, ut Princeps Justitiæ absolutus coloreris. Bilancem appello: quia tantum auream legum libertatem ponderebas, ut ferrum servitutis non admiseris, quo fama boni publici, & justitia proscinderetur. Nihil non acri librabas ingenio, trutinabas causarum peritiâ, nullus negotiorum abstrusorum nodus, quem acutâ non solvisses mente, perpolito consiliorum non recidisses acinace, Major Alexandro. Invaluerant tempestates litium, impugnantia leges Patrias seviebant pericula, & Te Pacificatorem sui adorabant. Magno scrupulo parvas trutinasti causas,

Illustrissimi peritia Legum, & severitas judicandi cum levitate.

quod

quod nihil non grave Tibi fuerat in animo, quod pondus sentiret Justitiæ. Nunquam librasti animum gravitate Personarum, & leve pondus fuerat, quamvis totâ mole, ad plantas ruerent Magnatum dignitates, quòd non à pedibus suspendisses aures. Nullus fucatæ insinuationis aditus, corruptionis nullum iter, ut mancus ad munera, sic centimanus ad stateram justitiæ pro æquitate sustinendam. Parces verbo veritatis, ut centoculus Patriæ legibus prospiceres, cæcutièbas ad auri fulgorem, ut ad oculum sit, Te personas non respicere Christum Domini. Dii boni! quoties, adulatrix amicitia, pulsabat ædes, iniquo ausu exoratura clementiam, quoties ad aras justitiæ devota circuibant offertoria, ad Te velut Altare, majus Justitiæ sua reposituri munera, absq; Tui indulgentia, quòd innatam Tibi, cum summis corrumpere amicitiam malueris, quàm corrumpi. Metimur quantum debuerit Petricoviensis curia supremo Justitiæ Arbitro, quotquot enim decidit causas, nisi legitimum Justitiæ produxêre effectum. Omnibus videri justum & esse: quàm rarum est, tam gloriosum: nisi in Te experiremur quotidianum. Illa enim ad Te confluebant agmina, quæ innodatam criminibus deposuissent conscientiam, ad aras Justitiæ, à Te indulgentias receptura, quod nihil non thaumaturgum sit, non gratiosum nihil, quod à Tuis retcepisset oraculis ad prodigium. Concordem discordiam dixero: causarum inter se disceptantium, dum supremi Judicis deventum ad sen-

tentiam, enimvero, tantum plectebat injuſtitias ut intactam ſervaſſet Juſtitiam. Scilicet fulminabat contra ſcelera,& ad oculum fuerat, tantùm illum iraſci criminibus, non delinquentibus; Noverat parũ eſſe,ſeverum fieri contra ſcelera,quin ſit & benignus. Tantùm compoſuit ad minas grande ſupercilium, & velut è Cælo proſpectaſſent fulmina, & ſudum benevolentiæ radiaſſet. Nubibus clementiæ, induiſti frontem, dum detonares, contra legum prævaricatores, & gratiarum legebant gemmas, triſulcis ignibus amandandi. Verbo dicam: terno paſſu ſupremum Judicii Tribunal aſcendiſti, id eſt ternis revocatus votis, ad Vice-Regiæ Majeſtatis revocatus culmina, quod parem Tibi Patria legum Protectorem, dignitas Regia ſuum Vicarium,Senatus Juris conſultorem & ſuperarbitrum, Nobilitas cauſarum Pacificatorem, ipſa deniq; crimina, juſtiorem, ſui ultorem, non habuerint. Præſes Tribunalis Regni ita præfuiſti ſacris Regiæ Juſtitiæ Arbitris, ut omnes & ſingulæ Sententiæ prodeſſe omnibus, obeſſe nulli voluerint, quare, etiam inter Themidis oracula numerantur, ita Divinæ conſonabant juſtitiæ,ut cumAſtræa Cælo inſeri mererentur, ac inter magnaminitatem leonis, & æquitatem libræ,in Cæleſtis Zodiaci ambitu collocari. In Athenienſi Arèópago ac in Martis Templo, primi Dii crimen capitis judicarunt; Deos quoq; Tibi aſſidere arbitror, (niſi & Tu inter Juſtitiæ Numina colereris,)& in ſacra æde juris negotia diſcutere, ubi Divinæ æquitatis cauſæ, ſanctori-

bus

bus committuntur Judicibus. Neq; sine arcano præfuisti Tribunali Regni. Petricoviam enim Gnesnâ veneras, scilicet ab Inter Rege ut Prorex, à Primate ut primus & Princeps Tribunalis, à primâ Polonæ Ecclesiæ Cathedrâ, ad primas Lechicæ Justitiæ exedras, par Regum solio & Potestati.

Pantheon Abavorum Tuorum non ingredimur, nec à tumulo Magni Nominis umbras ad lucem publicam accendimus: cùm clarum sit, & Te in omnibus adorari, & omnes in Te lucere ad decorem, non secus ac Soles occiduos. Jllustrissimum scilicet sidus, Parentem Tuum, oriens ad sudum gloriæ evectus, prosequeris. Tantùm in Te uno, omnium accendis Nomina, ut omnes majorum ceræ, in unum Præsulem defluxisse viderentur. Vivam virtutum imaginem, non Apellis depictam penicillo, verùm ad ipsius sanctimoniæ lineam exaratos in Te legimus characteres; Quotquot Antenatorum recensemus merita, tot in Te dignitatis spectamus simulacra, acsi quoddam esses Capitolium, quod rectefactorum, in Fascia, integrum recludat orbem. Satis est Te unum pro cunctis dixisse Præsulem: ne cùm Te laudare aggredimur, à tumulis quæramus Umbram veritatis. Litent antiquæ fortunæ vota, suorum Majorum devoti Titulis, quos sua Virtus ad Aras non promovet, inter Apotheòsim gloriæ non inscribunt merita. Tuo illustras fulgore Cælum Patrium, & plus ad dignitatis augem, præclara accendis merita, quàm ad Titulo-

tulorum radios, ne itaq; ab aliis illuſtres videaris derivaſſe ſplendores, Te velut Phæbum inter ſidera concernit Oratio: qui Te ipſo ad meridiem laudum eluctaris. FRANCISCI Patris Tui Nomen non recenſemus, è quo velut Jovis vulnere, Cælo tantùm digna defluxit Progenies; Ignes Seraphicos non accendimus, Te velut Phænicem inter Titulorum flammas Illuſtriſſimum ſpectaturi. Sub Roſa ſint Domûs Illuſtriſſimæ BIERNACCIORUM, quas Senatoriæ Curules ad dignitatis Culmen evexerunt, meritis & virtutibus prodromis. Claves Theſaurariæ, fortunæ recludunt æraria, campum Honoris ad Titulorum meſſem reſeraturæ. Illa Domus eſt: in qua quotquot magni Nominis legimus vocabula, tot gemmas ad decus Coronæ Lechicæ colligimus in FASCIAM, vel certe in BIERNACCIORUM Roſis altiſſimi coloris ſanguinem ad trabeas. Illuſtriſſimus ille Ternio VLADISLAUS BIERNACKI. Caſtellanus Rozpierienſis. FRANCISCUS Theſaurarius Caliſſienſis, PAULUS Capitaneus Włodzimirienſis, Gratiarum Numerus eſt, niſi alteri Mars ipſe à teneris poſſediſſet frontem, & velut ab Jove proſpectaſſent fulmina, pro Patria, trabeatus honor alterum, à cunis Senatorias evocaverit ad Curules, Lucina alterum educaverit Herculem, contra auſus hoſtium, Conſum pro RePublica, Virum in Toga pro pace, dum mella fudiſſet Roſinus, commoditati publicæ ſana proviſurus conſilia. Pulchro fædere Senatoriis Faſcibus, Martis collegit arma, ad trophæum gloriæ

Sangvis Illuſtriſſimi per Conſangvineorum diffuſus Trabeas, & Faſcia, Illuſtriſſimis Connexa Colligtionibus

riæ Illuſtriſſimus LADISLAUS BIERNACKI, Caſtellanus Rozpierienſis,qui velut leonis medullâ paſtus. WILXYCCIORUM ſanguine Achilles fortunatior Gradivi poſſedit aciem, ſcilicet non aliam pugnandi callebat artem,niſi ad Martis præcepta, videre tantùm, hoſtium catervas debuerat, & non manus conſerere, quod velut è quodam Capitolio, tantùm triumphi proſpectaſſent. WILXYCCIORUM FASCIA eſt: tantùm in altiſſimæ conſanguinitatis extenſa Domos, ut Orbē Magnorum Nominum ſibi obligaſſet, & Univerſum ſummæ Proſapiæ ſecum circumferat. Et ut ſummis tantùm innituntur ſuprema, ſic tantùm Principes Familiæ arcto Colligatæ fædere WILXYCCIORUM adhærent Nomini. Non aliter ac in alto Pactoli naſcuntur gemmæ ad Coronas. Deorum ſacer Lucus eſt, quem honoris aſcia putat ad ſceptra vel Curules. Indignum reor eſſe, ut mentes non ad Regiam natæ indolem adoleſcant ad Coronas, erubeſcit in lacerto ignobili Princeps trabea, nec niſi per Procerum ſolia regnare geſtiunt diademata. Illos tantùm Deorum poſſe ſortiri nomen,qui vel miraculum Orbi ſint, vel ab Jove derivaſſent vocabulum dignitatis, ſacer ignis eſſe debuerat, ut cuſtos Imperii diceretur: Deorum foci, nusquam immortali arſiſſent flammâ, niſi victrice lauro vel Dodoneâ nutrirentur cedro. Quam ferax dignitatum in Colligatis Domibus WILXYCCIORUM Solum ſit? ex fructibus honoris conjicite, Titulorum ſylvam, conſanguinitatis arborem putate, non alio

plantatam agro, nisi quem Honor agricola excoluerat, ad laurearum semina. Cretam dixero, ubi tot Joves nascuntur, ad honoris imperia, quot Nepotes adolescunt, ad munia Nobilissima. Istius florentissimæ Prosapiæ plantæ sunt, quas ad peda Præsulum, Senatorum Curules, sceptra Principum, & vix non Regum Solia plantaverat. Curules curulibus, & trabeas alto immiscent sanguini in WĘZYKORUM Familia, quam præter infinitos Titulorum Fasces ad ViceRegiam Majestatem evexerunt merita, videre est & adorare, inter vittas Præsulum, Mitras Principum, illustrissimas radiare frontes, mentes celsissimas, suis sublimiores Infulis, prope eminentissimas. Orbis videat; quam pulchrum Titulorum fædus, intra WILXYCCIORUM FASCIAM obligatum! Addunt invictis Nominibus robur WALESCIORUM Columnæ, quibus tantum Astrorum Principes, idest honores Illustrissimi velut in Rhodiis regnare videntur. Illam Magni Nominis umbram projiciunt, quàm meridies amat Titulorum, Illustrissima est, nisi ad augem dignitatis evecta. Tantum Illustrissimorum amica Titulorum, ut umbra dici nequeat, nisi Sole clarior. Et istud est: quòd illo Nomine velut fulcro Patriæ Polona in altum surgunt fastigia, à quo plantam sumpsisse Domus Honoris non absimilem debuerat, quam ad tantæ Familiæ lineam in suam transtulit Fortuna faber. Vocabone in paginam PRUSOVIORUM Nomina? quibus quàm antiquum Nomen est: tam solis coætaneum honoribus,

Patri-

Patrium illis ſolum Campus honoris eſt, quem ad plantandos faſces, Gentilitiis Vomeribus excoluerant. Nec taceo antiquum MIEDZIANOVIORUM Nomen, quod contra adverſa Patriæ, quàm invictum, tam pro Matre Polonia ahæneum. Argus ſim ut Illuſtriſſimos Familiæ decores in WILXYCCIANA recluſos Domo ad oculum recenſeam. Ipſa licet Fama gloriæ aptaſſet pennam, pro ſepia Senatoriis intinxiſſet Muricibus, nondum ad ultimam Majorum ſuorum deveniret periodum. Ille enim Titulorum ambitus eſt, acſi quoddam Capitolium quod rectefactorum ſuorum integrum in ſe complecte retur Orbem. Dicamne Orbem? Majores Orbe ſunt, quibus velut de ſtirpe eſſent Macedonum unus non ſufficit: alterum enim in Vittis ſuo obligarunt Nomini, alterum in GEMBICCIORUM rotant FASCIA. Illa eſt: qua vel Apollines ſi iterum fudiſſent Oracula uterentur pro Cortina, vel Honori pro trabeis ad obliganda Patriæ vulnera. Magnorum & ingentium Nominum eſt, etiam ultra natalem Orbem, ad famæ claſſica promulgari per Elogia. Bene audit WILXYCCIORUM Domus, quam ultra Thulen, & Indos, orbis recitat ſubterraneus pro gloria in MĘCINIIS ſcilicet præter benemeritos de Republica per dignitatum faſtigia Viros, præter altum ſangvinis, Polono diffuſum Orbe, etiam, profundo orbis alterius immenſum familiæ exundavit in ADALBERTO MĘCINSKI Societatis JESU. Cui præter Martyrii cruorem, altiſsimi ſangui-

guinis Color, depinxit trabeam, quâ inter Cælestis Aulæ Principes fulgeret ad Majestatem. Dii boni quantâ amplitudine extensam WILXYCCIORUM Fasciam audiimus, ut Divos etiam in sui obligaret Colligationem. MĘCINIORUM rosa est quæ inter Cælestes Elysios plantari debuerat, annecti Coronæ, inter laurearum colligi manipulos, & regnare inter florentissima Deorum semina. Unde non vanæ spei argumentum colligimus, dum MĘCINIORUM Florem pro Deorum aris, consecratum adoramus. Fructus honoris Domûs WILXYCCIANÆ est, & tantùm ad superum delicias maturuit. Apis argumentosa sit necesse eloquentia, ut ad suadæ bellaria, omnem, MĘCINIANÆ Familiæ florem colligat, satis est, ut enervatis pro Aris focisq; lacertis, ipsi sui laboris præmium, ipsi sint & Corona: Ibit in victimam honoris WILXYCCIANI, LESZCZYNIORUM urus Fasciâ coronatus, quem Filiaster Tuus, Antistes Jllustrissime, Venator Inowłodensis nuptialì desponsavit annulô, ac suo obligavit Nomini in Filia Perillustris VENCESLAI LESZCZYNSKI Subdapiferi Varsaviensis. Et inde est WILXYCCIOS illis sociari Nominibus, quæ & Senatorum Curules evehunt ad sublimia, & vix non Regum solia promovent ad Majestatem. Unde clarum est Illustrissimorum Nominum sufficere unum sepiâ adumbrare radium, ne dum ad serenum omnis gloriæ penna evolaverit, Icarias luat pænas, & quod temerarior ausu, Cæli aboriginum lu-

strasset

ſtraſſet ſplendores, in ſui cæcutiret obſcurum, propriô natare videatur profundô, dum altum Sanguinis per immenſum Colligationum diffuſi, attingere ſitiiſſet. Verùm enimverò quàmvis Cælo etiam pro pagina uteremur, ut Sidus Patriæ evolvamus ad ſplendores, Orbe, ut Gemmam Præſulum nativis accendamus fulgoribus, tamen nondum ex æquo punctum gloriæ evolvimus ad periodum. Proinde per immenſum Titulorum, per profundum alti Sanguinis, vela non facimus; ne priusquam ſoluta ſuadæ anchora, profundo meritorum ſeſe commiſerit, ſicco hæreat eloquentiæ, littusq; arare videatur, quæ Campum honoris, ad meliorem gloriæ frugem aperire attentaverat. Annulus Pyrri ſit periodus, ut & Nomen Apollinis in Antiſtite, & Domos Familiæ, pro Muſis, concludere ambiat, vel certè Atlas pagina, & Regale folium, ut Orbe Majorem Domum, ſuis inferat dignitatibus. Sed ubi & nos impares tanto ſufferendo oneri agnoſcimur, & WILXYCCIUM omni majorem Elogio celebramus, proinde Colligationis Domos breviore ſtylo adoravimus, per Nomina, quamvis non per Titulorum vocabula, quæ, ſi Orbis legere voluerit, Faſtos implerent, Scriptorum fatigarent dextras, & nondum ad ultimum deveniret fama per panegyres. Reſtat, ut ex clava Herculem, ex Illuſtriſſimis ſplendoribus Siderum Principem agnoſcamus, ſcilicet, SIEMINSCIIS, KAWIECCIIS, WILKONSCIIS, Illuſtſtriſſimam WILXYCCIORUM Domum inferamus. Non de-

H gene-

generarunt à ſuæ gloriæ prototypo, quibus, ut Phæbo jubar, ſplendor adamanti, ſic virtutis & meritorum ineſt, ſemper amicum dignitatis Decus, velut primi ab Jove, Soles gemini, Illuſtriſſimi Fratres Tui STANISLAUS & ADALBERTUS, quos Faſtis gloria, nos paginæ inſcribimus ad decorem. Uterq; ut Princeps Nomine, ſic virtute, & meritis non poſtremus. Illud eſt par nobile Fratrum, ut alter Pollucem, Caſtorem alter ſuppleverint, famâ Nominis ac Meritorum gloriâ immortales. Veſtra itaq; Nomina WILXYCCII, velut gemmam annulo, vel adamantes diademati, Gentilitiæ incluſiſtis FASCIÆ, quæ, ut antiquæ Domûs Inſigne eſt, ita ſolius immortalitatis ad gloriam ſymbolum. Et iſtud eſt Antiſtes Jlluſtriſſime, illos Tibi honores eſſe conſanguineos, qui ut virtutum ſunt collactanei, ſic ſolîs adulti Titulîs, coævi Dignitatibus. Expliciuiſti in Illuſtriſſimas Magnorum Nominum Domos FASCIAM, ut orbem alterum, aut honoris Senatum complecterêris. Vidimus Colligationum Tuarum Pantheon, Virtutum ac meritorum Capitolium, omnis decoris & dignitatis novum quoddam Compendium, FASCIA, velut ad honoris acervum, in Te collectum. Vidimus Senatûs ſacri gloriam, Infularum faſtigium, Eccleſiarum Conditorem, Religionum Patrem, Legum & Jurium Patriæ Protectorem, Cuſtodem boni publici, veriùs dicam Patrem Patriæ. Quid plura, Antiſtes Illuſtriſſime? In filo argumentum eſt, Decus Infularum FASCIAM in Te dixiſſe, quam

Tex-

Textores Tituli, trabearum intexuerunt filo, ad sui ornamentum. Ex quo enim ipsis Te virtutibûs & meritîs, ad summa gloriæ fastigia evectum censuimus, tantum à Te Honori sacro cultûs advenisse credimus, ut plura Tibi debuerit, pro meritis, quàm Tu pro præmio. Præmisimus itaq; Te plus mereri, quàm Tituli in Te virtutes possent coronare. Probavimus, tum meritorum pondere, tum authoritate Magni Nominis, Illustrissimarum Familiarum splendoribus, ad augem gloriæ evectum demonstravimus. Dedimus gravium Virorum ac Procerum Prosapiæ Tuæ instantias; restat, ut dum Te sacris Titulis dedisse verticem adoramus, Infularum DECUS FASCIAM concludamus.

ACcipe supremo primam pro verticè Vittam
Quam supplex obtrudit honor, quam vota secundant,
Prodroma Præsuleis est hæc Tibi vitta Tyaris,
Præter quam meritum, pietas quoq; digna reposcit,
Exigit insignis virtus, prudentia, Nomen,
Obligat augustos Tua Præsul FASCIA Fasces,
Connectitq; suâ sacras pro fronte Tyaras,
Fœdera fœderibus, Vittis sociabit honores,
Præsuleus certabit honor, certabit in ostro
Majestas Trabeata, sacris redimita coronis:
Ut rapiant unâ collectum fronte Senatum.
Ibunt purpurei Fasces, sacræq; Curules
Suffultæ Crucibus, comitabitur Infula Princeps
Magnanimum virtute decus, meritisq; supremum.
Sponte Pedum Titulis Prædux, & fama Tyaris

Sub Cruce conjuratus honor, jurata Poteſtas
Signa dabit, quòd Te ſolum ſub pectore ſervet,
Et primum condat pro Majeſtate Decorem.
In primis ut Te tantùm ſplendere Tyaris
Viderit, evectum cupiet Sarmatia Vittis.
Cùm Te Præſuleâ ſublimem Poſna Curuli
Geſtit, mox meritos Violîs veſtire lacertos
Ambiet, haud vano quævis ſacra Vitta ſereno
Complecti, divâq; Caput vincire Coronâ.
Plaudimus hinc meritis, Titulis, quos FASCIA Vinxit,
Plaudimus, optatos Præſul ſperamus Honores,
Sæcula Saturni, Soles quos mille coronent,
Et Vitæ Phæbus, placidis Tibi currat in Annis.